



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118510**

§. 63. Hujus sententiæ executio adhucdum dilata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

lent, quapropter die decima octava No-  
 vembris anno post Christum natum mil-  
 lesimo quingentesimo quadragesimo tan-  
 quam contumaces fuere damnati, lata  
 in eos hac terribili ac severa sententia,  
 vi cuius omnes Merindolani incolæ ro-  
 gi supplicio afficerentur, ac dirutis, fo-  
 loque æquatis eorum ædibus, sylvis ac  
 receptaculis, insuper eorum bona Regis  
 ærario addicerentur, ipsi vero Regno  
 proscriberentur, ac denique in eorum  
 hortis arbores, pomaria & circumvici-  
 næ sylvæ excinderentur. Hujus sen-  
 tentiæ executio propriis demandata fuit  
 Judicibus, qui pro more Aquis, Tourvii,  
 Aptæ Julii, atque in S. Maximini oppi-  
 do jura dicebant. Horum nonnulli exe-  
 cutionem differri petebant, verum con-  
 tendebant alii, potius eam omnibus vi-  
 ribus urgendam esse; hos inter præci-  
 pui erant Aquensis, atque Arelatensis  
 Archiepiscopi, spondentes, quod hu-  
 jus belli expensas pro parte ferre vel-  
 lent.

## §. LXIII.

*Hujus sententiæ executio adhucdum  
 dilata.*

Cum interea hæc quæstio ultro citro-  
 que agitaretur, totum negotium dif-  
 ferebatur, id impetrante Nobili quodam  
 Arelatensi nomine Allensio, qui hanc in  
 rem

Sæcul. XVI  
 A. C. 1544.

*Sleid. Thes.  
 l. c.*

*Duplex hist.  
 de France vie*

Sæcul. XVI. rem opportune proferebat quamdam hi-  
 A.C. 1544. storiam satis facetam, quæ Augustoduni  
 de Franc. I. Cassaneo acciderat. Hic enim (ita nar-  
 hoc anno. rabat Allenius) quamvis non nisi Cu-  
 De Thou l. c. riæ Advocatus esset, quamdam causam  
 in se susceperat contra illius loci incol-  
 las, qui ad illum tunc temporis questum  
 venerant, quod mures eorum frumen-  
 tum penitus depascerent, ipse vero Ad-  
 vocatus murium causam propugnare  
 aggressus est. Hæc relatio tantum pro-  
 ficiebat, ut non modo sententiæ execu-  
 tio differretur, sed etiam milites, qui  
 magno jamjam numero confluxerant,  
 ad sua reverti juberentur, usque dum  
 certior de Regis voluntate notitia ha-  
 beretur. Referunt nonnulli, quod ad  
 hanc mutationem haud parum contule-  
 rint preces Guilielmi Bellaji Langæi,  
 qui tum in Pedemontio Pro-Rex erat.  
 Hic enim sententiam nimis severam ra-  
 tus, ob illam submissionem, quam Me-  
 rindolani incolæ utcunque præstabant,  
 præteritorum criminum oblivionem esse  
 concedendam censebat, eo potissimum  
 nomine, quod, ut inquebat ipse, spe-  
 ciatim in hanc rem a regia Majestate  
 sua inquirere jussus, post exactam hujus  
 negotii discussionem deprehenderit,  
 quod gentes illæ, quas Valdenses no-  
 minant, in montibus delitescentes, tre-  
 centis abhinc annis incultos agros inco-  
 lere

lere cœperint, ea lege, ut eorum Domini tributum penderent, non sine felici assidui laboris successu; quippe hasce terras omni cultu vacuas non modo fertiles, sed etiam pascendis pecoribus ac serendo frumento idoneas reddiderunt: Porro Valdenses isti, ita prosequebatur Episcopus, Viri sunt nullo labore fracti, victu parcissimi, in vectigalibus tamen & tributis Regi, eorumque Dominis annue pendendis fidelissimi: de cetero frequentant raro admodum Ecclesias, imo etiam coram Imaginibus nunquam genua flectunt, nec pro se, nec pro defunctis rem divinam peragi curant, nunquam signo crucis se muniunt, nec etiam aqua lustrali utuntur, minus vero prope salvificam Christi Crucem prætereuntes pileum detegunt. Insuper ritus a nostris omnino diversos adhibent, suasque orationes in lingua vulgari persolvunt, ac denique nec Papam nec Episcopos reverentur, sed duntaxat quosdam ex suis seligunt, quos ad exercendas sectæ suæ functiones tanquam Ministros ac Pastores nominant (\*).

## §. LXIV.

(\*) Ne ipse quidem Sleidanus, quem Continuator allegat, de hac Langæi Episcopi oratione mentionem facit.

*Hist. Eccles. Tom. XXXVIII.* T

Sæcul. XVI;  
A. C. 1545.